

qui prole carent, intercidat, eligunt aliquem ætate ac robore florentem, cui demortui nomen imponunt. Ille militum statim delectum habet, ac bellum capessit, ut præclaro quopiam edito facinore, probet se non tantum nominis, sed etiam virtutis ejus, cui substituitur, heredem esse. Inferioris notæ nomina æterno silentio damnant. Itaque simul ac in pago quispiam è vita cessit, ejus nomen alta voce pronunciatur per omnes casas, ne quis illud temere usurpet. Quod si mortuum tamen appellare necesse fuerit, utuntur verborum circuitione, & præfantur quidpiam, quo mortis ominosa [346] memoria leniatur. Idque si omittatur, accipiunt in gravem contumeliam: neque atrociori maledicto vulnerari filium aut parentem posse putant, quam si huic filius, illi parens, mortuus exprobretur.